# MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL III)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh.


Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Nam alii febris imminet aut malum aliquod obrepit. aut dampnum graue succedit. aut quod abstulit morbus aufert. difficile tamen sine presenti ultione res preterit.

De illis dixisse uirtutibus sufficiat. que circa sanctam basilicam gesta sunt aut geruntur. nunc pauca de locis illis in quibus eius habentur reliquie disserentes. finem huius libelli facere placet. deuotione commonente. Quidam apud belgice prouinciam idem in suburbio remensis urbis basilicam in honore beati martiris studiose construxit. cuius reliquias post perfectam fabricam expetiit fideliter ac deuote. quas acceptas dum in itinere psallendo regrederetur. remensem est ingressus campaniam. Erat enim haut procul a uia ager cuiusdam diuitis campanensis. ad quem serendi boum multitudo magna conuenerat. Igitur adpropinquante uiatore cum his pignoribus. cepit quidam de aratoribus male torqueri. et quasi in excessu mentis dicere. En inquit uideo beatissimum Iulianum adpropinquantem. ecce uirtutem eius. ecce gloriam eius. currite uiri relinquite boues. dimittite aratra. caterua omnis eat in obuiam. Stupentes illi et quod narraret ignari. dum ammirarentur uoces iam dicte persone: primus miser relicto aruis uomere. elidens se in terram. uerberans palmas in parte qua iam uir ille beati martiris ueniebat cursu celeri clamans cepit. Martir quid gloriose mihi incendis. cur regionem tibi non debitam aggrederis. cur habitacula nostra perlustras. Talia eo dicente. ad locum ubi iam sacerdos tabernaculum erexerat. turbulentus aduenit. prostratusque coram sanctis reliquiis diutissime humo incubuit. Tunc presbiter capsulam illam sanctam super eum imposuit. Illico erumpente ex ore eius sanguine ab incursione diabolici erroris mundatus est. ac deinceps uirtute sancti predicans comes fuit huius itineris.

Quid de eius reliquiis in oriente fidelium fratrum relatio signat edicam. In quadam ciuitate orientis diu in ecclesia quidam a demonio torqueretur. in naui beati martiris perduxit ceteris reliquias. Cumque nauis portum fuisset adepta. hic ad eam saltuatim prosilit. ac prouolutus solo coram naui. erumpente ab ore et naribus tabe. persona purgata est. Que cum episcopo nuntiata fuissent. commonet populum cum accensis cereis ad portum usque procedere. Igitur nauclerus audiens. flensque pre gaudio in occursum episcopi properat. nichil se aliud asserens de beati sustulisse basilica. nisi parumper pulueris. qui circa sanctum iacebat tumulum. sed deus omnipotens comprobans fidem uiri. occulti uirtutem martiris non permisit. Dehinc episcopus sublatas reliquias usque ad sanctam ecclesiam cum magno honore deportat. Negociator uero tanta cernens mirabilia. basilicam in honore martiris edificauit. in qua beatas reliquias collocans. multa deinceps miracula uidit operari.

Hec ego dudum experta contigit. ut post ordinationem meam aruernis accederem. profectusque beati basilicam adiui. expletaque festiuitate. diruptisque a palla que sanctum tegit sepulchrum fimbriis. in his mihi ferre presidium credens. impleta oratione discessi. Apud turonicam uero urbem monachi in honore ipsius martiris basilicam qualem possibilitas eorum habuit edificauerunt. cupientes eam eius uirtutibus consecrari. Audientes autem hec pignora a me fuisse delata. rogabant ut dedicata edes eisdem augeretur exuuiis. At ego apprehensa secreti capsa ad basilicam beati martini. incipiente nocte propero. Referebat autem mihi uir fidelis qui tunc eminus astabat. cum nos basilicam descendisse. et deinceps quasi uirtus ingressa fuisset.

Cum enim nobis hec in crastinum a fidelibus relata fuissent. cognoui eam uirtute beati martiris processisse. Depositis igitur super altare sacrosanctis reliquiis. uigilata nocte cum grandi silentio psallentio. ad antedictam deferebantur basilicam. Et ecce unus exenergumenus manibus in se collisis. ore patulo cruentos proiciens sputos. aiebat. Martir quid te martine iuliano iungis. Quid eum in his prouocas locis. Sat nobis erat presentia tua supplicium. gloria similitudine tua adaugenda tormenta uocasti. Cur hec agis. Quare nos cum Iuliano sic crucias. Hec et alia misero declamante expletis missarum sollempnitatibus. dum se ante sanctum altare diutissime collidit. perfluente sanie ex ore eius. ab infestatione furoris diabolici ereptus est.

Sed nec hoc silendum puto. quod in nocte illa prius quam sancte reliquie ibidem collocarentur sit gestum. Monachus ipsius loci dum de aduentu sollempnitatis gauderet. et singulos quosque ad cellariolum basilice promptissimus inuitaret. hortans ut omnes in basilica fideliter uigilarent. extracto a uase uino. cepit eis causa deuotionis cum gaudio propinare dicens. Magnum nobis patrocinium per beatum martirem pietas diuina largitur. ideo rogo karitatem uestram. ut unanimiter uigiletis mecum. Cras enim sancte eius reliquie in hoc loco sunt collocande. Exacta quoque cum sacris ymnis melodiisque celestibus nocte celebrata. missarum etiam sollempniis ouans clericus festiuitate. cepit eos iterum quos prius inuitauerat rogare ad refectionem dicens. Gratias uobis ago. quod sic ad uigilandum inmobiles perstitistis. Sed nec martir diu distulit bonam uoluntatem uirtutis sue gratia munerari. Nam ingressus promptuarium clericus repperit cupellam. quam pene mediam reliquerat per superiorem aditum redundare. intantum ut copia defluentis uini riuum per terram ad ostium usque deduceret. Quod ille ammirans positum deorsum uas sepius extulit plenum. sed de ipso cum satis habundeque fuisset expensum. nichil prorsus defuit. sed usque in crastinum mirantibus cunctis semper stetit plenum. Erat autem .iii. kalendas mensis quinti. O ammirabilis uirtus martiris. que perduxit sine flore de uase uindemiam. cum sit solitum ut collecta uua condantur in uascula. protulit dolium musta. in quo non uua sed uirtus sola defluxit. Turgescit uasculum aliquotiens. fructus non illatus est. sed creatus. Agit hoc ille dominus ad glorificandum martirem qui implens uterum uirginis sine semine. et permanere persistit matrem in castitate. sed tamen hic nouo more exuberat fructu cum sine corticibus falerna porrigit ad bibendum.